
J. Birckerod.

Fides Evæ

de Meſsiæ divina natura


Hafn., 1676.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-69 4° 00812 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-69 4° 812




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-69 4° 00812 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-69 4° 812


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-69 4° 00812 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-69 4° 812



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-69 4° 00812 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-69 4° 812



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-69 4° 00812 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-69 4° 812



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-69 4° 00812 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-69 4° 812

1,-69

DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4°
1 1 01 0 4 00812 X

+REX

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-69 4° 00812 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-69 4° 812

FIDES
PRIMÆ MATRIS EVÆ
de
MESSIÆ ſive CHRISTI
Servatoris
DIVINA NATURA,
illuſtrata
Ex verbis Geneſ. IV, 1.
ac
in diſputationem propoſita
à
JANO BIRCKERODIO
SS. Theol. D. & Prof. P.
in Reg. Acad. Haun.
Reſpondente
JANO BIRCKERODIO
JACOBI Filio.
Ad diem XXIX. Nov:
In Auditorio ſuperiore, horâ VIII.

HAFNIÆ.

Literis GEORGII GÖDIANI, Reg. Majeſt.
& Univ. Typogr. 1676.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-69 4° 00812 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-69 4° 812

Antiqviſſimum fidei noſtræ monumentum, qvod à primis temporibus in Caino ſuo extare voluit prima Mater Eva, dignum eſt qvod ſacris hiſce floſculis expolitum & conſpiciatur ab omnibus, & de novo in animis piorum erigatur.

Hafn: d. 25. Nov.
Anno 1676.

J. BAGGERUS D.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-69 4° 00812 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-69 4° 812

FIDES
PRIMÆ MATRIS EVÆ
de
MESSIÆ ſive CHRISTI
Servatoris
DIVINA NATURA
Ex verbis Gen: IV, v. 1. illuſtrata.

CAP. I.

Primorum Parentum fides de Chriſto. Verba Evæ recenſentur & explicantur. Interpretum variæ ſententiæ ennmeranrur. Omnes ad duas claſſes referuntur.

1. AB initio orbis conditi mox poſt lapſum noviſſe primos parentes, ſemen illud Mulieris, qvod contriturum erat caput ſerpentis, non hominem tantùm, ſed etiam Deum futurum, tùm ex ipſis promiſſionis divinæ momentis, tùm ex illis primæ Matris verbis eſt manifeſtum, qvibus ſpem ſuam ſummam declaravit, ut primum enixa erat filium Cainum, ideo in ſacras tabulas à Moſe relatis, ut poſteritati conſtaret, non novam, ſed omnium primam ac antiqviſſimam eſſe, ac cum ipſo mundo cœpiſſe hanc de Chriſto Θεωντρώπῳ doctrinam. Verba autem Evæ hæc ſunt.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-69 4° 00812 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-69 4° 812

Gen. IV, 1.

קָנִיתִי אִישׁ אֶת־יְהוָה	*Acqviſiti virum ſimulac Dominum.*

2. Variæ equidem ſunt de ſenſu hujus effati genuino ſententiæ; inde haud dubiè ortæ, qvod plurimi rectum particulæ אֶת uſum non ſatis accuratè obſervarint; alii avtem myſterio vel non animadverſo vel neglecto rationem propriam, qvàm verborum arcana ſeqvi maluerint: ipſa tamen verba cum ſimillimis loqvendi modis Hebraicis collata, ac ſine ullo præjudicio expenſa, cauſſam illam ſatis clarè indicant, qvâ Eva permota in ſummum gaudium effunditur. Cum enim non ſimpliciter virum, vel hominem communis ſortis, ſed virum את־יהוה ſe acqviſiviſſe dicat, promptum eſt judicare, non eam ſolùm ob editum in lucem infantem, ſed inprimis ob inſignem aliqvam ſpem, qvam ex nato infante ſibi promittebat, animo exultaſſe. Spes autem illa eximia, qvænam alia eſſe poteſt, qvàm qvæ antea ipſi facta fuerat à Deo per ſeminis propagationem, de Servatore vires Sathanæ protrituro, ac humanum genus redempturo, homine ſimul ac Deo futuro. Eam enim Evæ fuiſſe fidem, non levibus, ſed certis tum verborum tùm rerum ponderibus & argumentis inducti meritò cum aliis piis eruditisq; non unius ſed variarum Confeſſionum viris credimus.

3. Nec movemur aliorum ſententiis, dubium hunc locum facientium, ac ſatis eſſe exiſtimantium, fidei articulum clarioribus ſcripturæ locis firmare, qvàm ex obſcuris deducere, ne incertus eo ipſo reddatur, dum ex incertis adſtruitur. Valeret hæc admonitio, ſi doctrina, qvam è verbis elicimus, analogiæ fidei repugnaret, aut aliena eſſet à loco, cujus genuina expoſitio quæritur. Cum verò neutrum heic rectè ſupponi poſſit, non eſt, ut inde periculum aliqvod veritati metuamus. Nec rectè ideo locum dubium incertumq; vocant, qvòd ipſi de genuino ejus ſenſu dubitant, aut qvod nonnulli antiquorum re-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-69 4° 00812 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-69 4° 812

rectum ejus ſenſum non ſunt asſeqvuti. Si enim ideò locus per ſe dubius eſſet, qvod de ejus ſenſu vero à multis dubitetur, multa ſane clariſſima, de qvibus nemo niſi Atheus, vel Judæus, vel Muhamedanus, vel alius errans ambigit, dubia eſſent & obſcura. Ad veritatis certitudinem ſatis eſt, ſententiæ cum ipſis verbis & rebus convenientiam ab iis fuiſſe obſervatam & ſpectatam, qvi nulla partium authoritate vel affectu abducti, ſepoſitis propriis & aliis humanæ rationis commentis vel præjudiciis, Deum ipſum ejusq; Spiritum in verbo revelato loqventem ſolum ducem & autorem ſuarum cogitationum faciunt, illudq; ſtudium in ſententiarum veritate ſeriò & religioſè indagandâ adhibent, qvod ipſe Deus in eodem verbo efflagitat.

4. Cœterum ut qvivis animadvertat, certiſſimam & omnium clariſſimam eſſe hanc ſententiam, qvâ ad Chriſtum Evæ verba referuntur, propoſitionem hanc brevi argumento ita demonſtramus.

Qvæ interpretatio ſola cum loqventis verbis, ſimul & rebus, de qvibus loqventi ſermo eſt vel eſſe præſupponitur, rectè convenit, ea ſola vera & genuina eſt. Hæc verò ſola cum loqventis verbis & rebus de qvibus ſermo eſt vel eſſe præſupponitur, rectè convenit. Sola itaq; vera & genuina eſt.

5. Ad oſtendendam argumenti certitudinem duo agenda ſunt. Cum enim ſola hæc interpretatio dicatur rectè cum loqventis verbis & rebus convenire, oſtendendum eſt primò, qvod nulla alia expoſitio præter hanc unicam, rectè cum loqventis verbis & rebus conveniat: deinde, qvòd hæc rectiſſimè conveniat. Id ut præſtemus, ipſæ interpretum ſententiæ primum enumerandæ & ad certum ordinem revocandæ ſunt: deinde qvid de ſingulis judicandum ſit, ac demum qvomodo vera rectisſimè confirmetur, videndum. Te interea qvi

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-69 4° 00812 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-69 4° 812

omnis veritatis es fons & auctor, ne ad alia, qvàm veriſſima, nos ferri patiaris, humillimè precamur.

6. Inter antiqviores Hebræorum Magiſtros non defuiſſe, qui את־יהוה explicuerunt per Meſſiam, ex Chaldaicâ illâ Paraphraſi Jonathani Uzielis filio vulgò adſcriptâ conſtat, qvæ licet non ipſum Jonathanem ſed recentiorem aliqvem autorem habeat, qvod ſatis clarè ex variis ejusdem paraphraſeos in Legem momentis cum ætate & Jonathanis & aliarum rerum in eadem memoratarum comparatis demonſtrarunt eruditiſſimi viri, Buxtorfius in *recenſione Operis Talmud. p.* 232. Hotting: *Theſ. Philolog. libr:* 1. *cap.* 3. Morinus *Exc. Biblic. libr.* 2. *cap.* 6. Walton: *in proleg: Bibl. Sol. c.* 12. *p.* 89., quia tamen ab ipſis Judæorum Bibliothecis & officinis prodiit, documento ſatis certo eſt, extitiſſe qvosdam Judæorum Doctores, qui hunc locum ita explicandum eſſe exiſtimarunt. Verba autem ejus paraphraſeos in hunc locum ita ſe habent: ואדם ידע ית חוה אתתיה דהוא חמידא למלאכא ואעדיאת וילידת ית קין ואמרת קניתי לגברא ית מלאכא דייי id eſt: *Et Adam cognovit Evam uxorem ſuam, qvæ erat deſiderans illius Angeli, & concepit & peperit Cainũ, & dixit, adepta ſum viro illum Angelum Jehovæ.* Angelus Jehovæ heic non alius qvam *angelus faciei Jehovæ Eſ.* LXIII, 9, Meſſias, *Angelus* qvoq; *fœderis* dictus *Malach.* III. 1. Idem & Cabala ex commentariis in *librum Jetzira* (cujus antiqvitatem & autoritatem inter Judæos vide apud Buxt. in Rabb. Bibl. pag. 353) adducta & citata a *Joan:* Reuchlino *libr. I. Cabalæ*, evincit qvæ licet in multis fidem non mereatur, utpote fabulis variis mixta, quod *Andreas Rivetus* adverſus *Lutherum* & *Humicum* urget *exercitat. XLII. in Geneſin*, qvia tamen ex ipſis Judæorum antiqviſſimis monumentis profecta eſt, ſatis tuto evidentis teſtimonii loco adhibetur ad demonſtrandum, viguiſſe inter ipſos Judæos hanc verborum Evæ de Meſſiâ interpre-

pretationem, quo tantùm nomine & à Lutheranis plurimis, & à Calvinianorum nonnullis eruditiſſimis viris ejusdem Cabalæ autoritas admittitur. Ipſa autem Cabala ita ſe habet: *Miſſus eſt angelus Raziel ad Adam lapſum ut conſolaretur eum, cui ſic dixit: Ne ſupra modum conficiaris gemitu & moleſtia, qvòd te duce genus humanum in ſummam corruit perditionem. &c. Nam ex tuâ propagatione naſcetur homo juſtus & pacificus, vir heros, cujus nomen continebit in miſerationibus, etiam has qvatuor literas* יהוה *& ille per rectam fidem & placidam oblationem mittet manum ſuam, & ſumet de ligno vitæ, & ejus ligni fructus erit omnium ſperantium ſalus &c. Cum ſingula hæc Adam uxori ſuæ palam renunciaſſet, cœpit ea præſente ad poſteritatis commemorationem & gratiarum actionem erecto altari Deo ſacrificare. Ita enim Magiſtri noſtri tradiderunt, qvòd tùm Adam primus obtulerit juvencum. At Heva jam futura omnium Mater ſummotâ deſperatione, tandem à viro ſuo cognita concepit & peperit primogenitum. Unde incredibili gaudio perfuſa, qvod putaret ei mox, ſalvatorem eſſe natum ſic exclamavit* קניתי את יהוה, *i. e. acqviſivi virum illum quatuor literarum, qvas literas ab angelo jam pridem receperant, & acquiſitum nominavit Cain.* Addi his poteſt locus è *Bereſith Rabba fol. edit. Theſ. 20. col:)*, à Conſtantino L' empereur ad hujus ſententiæ lucem adductus *in notis ad* ὁδοιπορίαν *R. Moſ. Kimchi pag. 252.* ubi verba Evæ ſic explicant הא קנין בעל בידי *Ecce poſſeſſio Domini eſt in manu mea*, Alios qvidem Rabbinos reddere בעל per maritum tradit ibidem Conſtantinus, ſed id non convenire huic loco ſimul probat, potius verò, cum בעל ſignificet & maritum & Dominum, rectiùs verti per *Dominum.* Plura forte evidentiora in eundem ſenſum, Hebræorum antiqva monumenta diligenter evolventibus, reperire licebit.

7. In Eccleſia autem Chriſtianâ, qvæ primorum Patrum ſententia fuerit, haud facile eſt dictu. Qvamvis enim

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-69 4° 00812 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-69 4° 812

qvidam Græcis interpretibus ſint uſi, qvos etiam vulgatus & Latinorũ plurimi ſeqvuti ſunt, de omnibus tamen id nemo rectè aſſeveraverit. Obſtitit plurimis lingvæ Hebrææ ignorantia.

8. Poſtqvam autem clarior divinarum literarum lux Chriſtiano orbi affulſit, multi in antiqvæ Cabalæ ſententiam iverunt. E multis ſolum Iædorum Clarium Cornelius à Lapide in h. l. memorat, articulum את notam accuſativi feciſſe, ac vertiſſe, *poſſedi hominem Deum*, *qvaſi hæc Eva dixerit in ſpiritu prævidens, Chriſtum, qvi Deus eſt, ex ſe naſciturum*: Verùm præter Clarium plurimi idem obſervarunt præſertim primi literatores Hebræi *Paulus Fagius*, *Forſterus*, & *Sebaſtianus Munſterus*, & qvi poſt hos Lexicon Pentaglotton edidit *Schindlerus* aliiq;; inter priores verò maximè magnus ille Eccleſiæ Pater *Lutherus*; qvi initio reformationis, cum verſionem Germanicam ederet, in Genitivo את־יהוה reddendum putavit, den Mann des HERREN / eo ſcil: ſenſu, ut vir Domini eſſet vir à Domino promiſſus: vide *Comment. German: ad Gen: tom. IV. Jenenſ.* qvem imitati ſunt initio Genevenſes & Belgæ, in *Bibl. Belg.* met annotarien nae den Geneefſchen exemplar, *ed. Amſt. 1626.* Ich hebbe gekregen den Mann des HErrn: ubi in margine annotantur loca *Act. XVII*, 31. *Joan.* 1. 30. Sic & Biblia Danica Chriſt. III. gl: m. Jeg haffver faaet HErrens Mand. Lutherus verò Hebræa deinde paulò melius edoctus per accuſativum vertit: Ich habe den Mann den HErren: Vide explicationem ultimorum verborum Davidis tom: VIII. oper: Luth: German: Jenenſ: pag. 157. & Cramerum in notis ad Bibl. German. cap. IV. Gen. Ita & Biblia Chriſt. IV. gl. mem: Jeg haffver faaet den Mand HErren. Qvam ſententiam deinde plurimi non modò amplexi ſunt, ſed etiam defenderunt; maximè verò Ægid. Hunnius *tom: II. oper. pag.* 640. adverſus Calvinum, qvi *ſubtilem magis qvàm genuinam* judicavit Lutheri interpretationem, ac ita potiùs vertendum

cen-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-69 4° 00812 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-69 4° 812

cenſuit, *A*cqviſivi Domino virum *qvod ad Phraſin Hebraicam propius accedere* exiſtimavit, *in Comment. in Geneſ: ad Cap. IV.* & Paræum, qvi verſionem LXX interpretum, & Thargum Onkeloſi aliamq; Lutheri verſionem, Vom HErren/ obtenderat: cui iterum ſimul & Piſcatori iisdem inſiſtenti *in Anal: ſuâ Bibl:* veſtigiis Chriſtophorus Helvicus Hebræos fontes harmonicè diſpoſitos oppoſuit in *diſputatione de deſiderio Matris Evæ, Gieſſæ* 1613. Nec defuerunt inter reformatæ religionis eruditiſſimos viros, qvi eandem verſionem rectiſſimam agnoverunt, partĕ Cabalæ antiqvæ authoritate, partim ipſâ verborũ & rerum mutuâ collatione permoti. Ita Martinus Borrhai *in Moſen Baſ:* 1557. *Veteres interpretes*, inqvit, *Adamum ſibi de Meſſia promiſſo ſemine, & jam ſibi reddito, gratulatum interpretantur : atq; hanc Cabalam primordialem ſalutis nunciam fuiſſe de Meſſiâ in mundo mittendo ad humanum genus inſtaurandum.* Wolfgangus Muſculus *in commentariis ad Gen.* 1. *Poſſedi virum à Deo, vel virum illum Dei, qvibus verbis haud obſcurè ſignificatur, ſenſiſſe Evam, primogenitum ſuum fore virum illum Dei, qvi contriturus eſſet caput Serpentis ſecundùm oraculum Dei. Scio qvosdam hanc expoſitionem non admodum probare, verùm meo judicio, nihil eſt quod impediat, qvò minùs germana cenſeri poſſit. Nam etiamſi non legamus, acqviſivi virum illum Deo, ſed acqviſivi virum illum à Deo, vel per Deum; nihilo tamen minùs vel ex eo qvòd infantem recèns natum vocat virum à Deo acqviſitum, ſatis admonemur, concepiſſe illum de eo ſpem ſingularem, qvam non immeritò ad id referimus, qvod propter promiſſionem Dei impenſiſſimè exſpectabant.* Conradus Pellicanus *in commentariis ad Gen: cap. IV.* idem ex uſu articuli את in præcedentibus, item ex Cabaliſtica expoſitione probat. Sixtinus Amama, qvamvis aliam tueatur ſententiam, *Lutheri* tamen *verſionem extra omnem controverſiæ aleam poſitam fuiſſe* fatetur, *ſi tantùm articulus* את *nomini* איש *præpoſitus fuiſſet*, Vide ejus *Antibarb: Bibl: libr:* 2, *ad*

cap.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-69 4° 00812 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-69 4° 812

cap. IV, 1. *Gen: pag:* 371 ; qvam tamen exceptionem nullius eſſe momenti infrà oſtendemus. Conſtantinus L'empereur eum pro Lutheri ſententiâ ex Bereſith Rabba ſuppeditat locum, qvem ſuprà notatum vide ſect. 6. *Joh.* Hen: Heidegerus Fagii & Forſteri ſententiam præ aliis probat, motus tùm Kabbaliſtarum qvorundam explicatione, tùm ipſâ rerum connexione, *& ſanè*, inqvit, *tantum Evæ gaudium oſtendit nihil vile illam expectaſſe. Erravit fortaſſe, qvod neſciverit Meſſiam non poſſe naſci ut alios homines.* Vide *exercitationem ejus Vtam hiſt: ſacr: Patriarch. ſect.* 6.

9. In contrariam tamen ſententiam alii abierunt, nullum hìc arbitrati ad Meſſiam ſubeſſe reſpectum, ſimpliciter verò ad *divinum favorem* vel *auxilium* verba ſua Evam referre. Eo ſenſu LXX interpretes reddiderunt διὰ τοῦ Θεοῦ, & vulgatus interpres *per Deum*, qvos Patrum qvidam ſeqvuntur. Chryſoſt: *homil. XVIII in Geneſ. p.* 197. ed. P. ἐκτησάμην γάρ φησιν ἄνθρωπον διὰ τοῦ Θεοῦ, οὐχ ἡ φύσις φησὶ τὸ παιδίον μοι ἐχαρίσατο, ἀλλ' ἡ ἄνωθεν χάρις δεδώρηται. Vide qvoq; Hieron: *in cap. Ezech, VIII, p:* 352. & Auguſt. libr. XV. de Civ: Dei cap. 15. & Ambroſ. de Cain: & Abel libr. 1. c. 1. Vulgatum Pontificii more & inſtituto ſuo maximé ſeqvuntur. Tirinus *in Comment: ad Gen. p.* 99. per Deum; *vox eſt gratulantis & Deum autorem gratulationis agnoſcentis.* Menochius in *explic: Bibl:*, per Deum, *divino munere & beneficio.* Mariana, per Deum. i. e. *Dei dono.* Toſtatus; Poſſedi hominem per Deum, i. e. *ante hoc nullum habebam, nunc autem incepi habere, & hoc per Deum, id eſt, per voluntatem Dei dantis mihi potentiam generandi.* Cornel. à Lapide; per Deum, q. d. *Natus eſt mihi filius, qvaſi poſſeſſio mea, ſed & idem eſt potius Domini, poſſeſſio & hæreditas mihi à Deo donata.*

10. Inter Calvinianos maluerunt qvidam Onkeloſi Paraphraſin Chaldaicam imitari, articulum את explicantis per קֳדָם vel ut editio Veneta legit מִן קֳדָם, *coràm*, vel *a*, *de*, aut

Sa-

ex; qvaſi in Hebræo את poſitum fuiſſet pro מאת. Alii R. Salomonem ſeqvuti את pro עם, vel *cum* poſitum exiſtimarunt, cujus verba ſunt, אתה׳ כמו עם ה׳ כשברא אותי ואישי לבדו בראנו אבל בזה שותפים אנו עמו i.e. *Eth Jehova, qvaſi dixiſſet, im Jehova, cum Domino: qvando creabat me & maritum meum, ſolus creabat nos, at in hoc cooperati ſumus ei.* Item Michlal Jophi קניתי עם השח כי הוא שם בו חלקי ונפח נשמה בו, i. e. *acqviſivi eum cum Domino, nam ipſe partem ſuam addidit, inſpirando ei halitum.* Vide Sixtin. Amam: *Antibarb. Bibl. libr. II. ad Cap. IV, Gen:* p. 371. ſeqv. Similem ejus articuli uſum ex Abrabanele ad locum *Exod:* *XX.* 18. atq; ex P. Iſaac filio Aramæ recenſet Conſtantinus L' empereur *in notis ad* ὁδοιπορίαν *Moſis Kimchi p.* 252. Calvinus ipſe qvi hunc articulum notam Dativi eſſe voluit, ante ſe habet R. Moſ: Majmonidem, qvi ſimiliter אתה per לה exponendum putavit, qvaſi dixiſſet Eva; *jam qvia nos morituri ſumus, habebimus filium, qvi loco noſtri Deum creatorem ſuum colat*, Vide Merc: in Geneſ. p. 105. Gerundenſis rationem pro eâdem ſententiâ recitat, ſed non approbat Druſius *in annotatis ad h. l. p.* 121 *inter Cr: ſacr: edit. Lond.*

11. Omnes autem qvotqvot vel *per Deum*, vel *à*, *de*, ſive *ex Deo*, vel *cum Deo*, vel in dat: *Deo* vertunt, in hoc ſenſu conveniunt; non reſpexiſſe Evam ad Meſſiam ſive Chriſtum, nec aliud dixiſſe, qvàm ſe acqviſiviſſe virum *Deo cooperante, vel favente ac benedicente*, σὺν Θεῷ, ut Græci loqvuntur, *divino favore & beneficio*; atq; ita *eam ſibi gratulari de filio nato, ut eum Deo tanqvam generis ſui primitias offerat*. Vide tùm interpretes Pontificios ſupra citatos aliosq;, tùm è Calvinianis præcipuè Calvinum ipſum in h. l. Franciſc: Junium *tomo I. oper. Theol: in Anal: Gen: cap: IV.*, Tremell. & Jun. *in Bibliis ſuis*: Dav: Paræum in *commentar: in Gen.*, Mercerum in *Geneſ:*, Druſium in *loca difficiliora V. T.* Sixtin. Amam: in *Antibarb: Bibl:*, And. Rivet. *exercitat. XLII. in Geneſin.*

12. Conſtat ex his ad claſſes *binas* omnes omnium interpretum ſententias referri poſſe: *unam* eorum, qvi potiùs alio qvocunq; modo verba explicata volunt, qvam ut de Chriſto intelligenda eſſe concedant: *alteram* eorum, qui Meſſiam ſive Chriſtum heic Deum vocabulo יהוה nominatum credunt. Ad hunc itaq; ordinem omnes revocabimus, ac qvæ fundamenta ſuarum aſſertionum ſingulæ habeant, breviter expendemus.

Cap. II.

Oſtenduntur Sententiæ & interpretationes eorum non rectè convenire verbis Evæ, aut rebus de qvibus loqvi ſupponitur, qvi vel per Deum, vel â, de, ſive ex Domino, vel in dat: Domino vertunt, eo ſenſu, ut nullum ad Meſſiam ſive Chriſtum reſpectum ſubintelligendum putent.

QVi ad Vulgati interpretis ſententiam *per Deum* verterunt, Græcorum & Latinorum fidem magis, qvàm Hebraicam veritatem ſeqvuti ſunt. Nullo enim Scripturæ loco demonſtrari poteſt אֵת inter duo nomina poſitum ita ad modum cauſæ principalis exprimendum adhiberi aut verti poſſe. Diverſa autem eſt ratio aliorum, non idem exprimentium, ut cum de loco per qvem itur, Deut. I. 19. ונלח את־כל מדבר הגדול *& ivimus per totum deſertum magnum*: 2. Sam. XIX, 32. *Et trans-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-69 4° 00812 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-69 4° 812

transmittendum את־בירדן *per Jordanem* (rectiùs tamen hìc vertitur *ſuper*, qvàm *per:*) aut de tempore, Exod. XIII, 7. *Infermentata comedentur* את שבעת הימים *per ſeptem dies*. Hæc enim, ſine præpoſitione *per*, etiam apud *L*atinos verti conſtruiq; poſſunt, ut multò minùs juxta genium lingvæ Hebrææ, præpoſitionis vis poſſit urgeri. *Locus* verò Eſai. VII, 17. את מלך אשור non ab omnibus redditur, *per Regem Aſſyriæ*; ſed ab aliis *nempe* vel *cum*. Quicqvid ſit, Rex Aſſyriæ non principalis ſed tantùm miniſterialis cauſa eſt, per qvem Deus punit. את hic notat conjunctionē cū præcedente ימים; ſicuti particula ב v. 20 uſurpata במלך in eadem conſtructione eſt cum proximè præcedente בתער *novaculâ*, ut inde nihil ſubſidii ad ſignificationem *per* peti poſſit. Alia loca pro hoc particulæ uſu à nemine adducta ſunt.

2. Qvi verò את־יהוה *pro* מאת־יהוה hic poſitum arbitrantur, qvaſi hic eſſet ellipſis præpoſitionis מן, ne certum qvidem locum producere poſſunt, qvo ejusmodi Ellipſis probetur, multò minùs eandem particulam ſimiliter poſt verbum activum inter duo nomina eodem ſignificatu poſitam. *Locus* à Piſcatore adductus *G*en. XLIV, 4, הם יצאו את־העיר particulam non poſt verbum activum, ſed poſt verbum neutrum ſubjunctam, nec duobus nominibus, ſed unico appoſitam habet; ut proinde ſi vel maximè hic per *ex* redderetur, *illi egreſſi ſunt ex urbe*, haud tamen inde ſequeretur ſimiliter in hoc loco eam exponendam eſſe, cum nulla ſimilis ſit vel verbi vel duorum nominum conſtructio. Verùm nec ullâ nos neceſſitate duci ut eo loco vertamus per à vel ex, alii qvoq; rectè cenſent, cum phraſi Hebraica ſimiliter per accuſativum exponi poſſit, ac apud Latinos, *egredi limen*, Terent. *exire campum*, Statius; *egreſſus pueritiam*, Svetonius.

3. Magis favere videtur locus Deut. XXXIV, 1. את־כל־הארץ את הגלגל עד דן, qvem Tremellius & Jun. ita vertunt: *Ubi oſtendit ei Jehova totam terram* (את) *à Gilgale*

Danem usq; ſed verba ſeqventia declarant particulam את non ablativum ſed accuſativum indicare, cùm reliqva nomina, quæ in eadem conſtructione eodem ordine mutuò apud ſe collocantur, non niſi per accuſativum poſſint exponi: Totus locus ita ſe habet: *Et oſtendit ei Jehova totam terram,* את *Gileadem usq; ad Dan, ac* את *univerſam Naphtali, ac* את *terram Ephraim, Manaſſe, ac* את *totam terram Juda, usq; ad mare poſterius,* Sicuti itaq; poſteriora nomina haud rectè qvis verteret, à terra Juda; ita nec priora: cùm ſimili conſtructionis ordine omnia ſibi ſint conjuncta.

4. Ad locum 1. Reg. XVIII, 32, ubi את videtur præponi Ablativo hôc modô: ויבנה את־האבנים מזבח בשם יהוה, qvod communiter ſic verti ſolet: *Et ædificavit ex lapidibus iſtis altare in nomine Domini*; reſpondemus, non obſervari ſatis modum loqvendi *He*braicum, ad qvem potiùs, qvàm ad formulas Latinas in accuratis verſionibus verba explicanda ſunt. Hebræi autem in iſtis formulis בנה את, &c. Accuſativum per articulum adjectum exprimunt, ac formatam rem aliqvando per præfixum ל ſubjunguut, modo clarè appoſitum, modò ἐλλειπτικῶς ſub intelligendum, ut proinde hæc ita verti ſecundùm Hebræum textum debeant: *Et exſtruxit lapides in altare in nomine Domini*, prorſus quemadmodum eadem loqvendi formula occurrit ipſo initio Gen: cap. II, 22. ויבן יהוה אלהים את־הצלע לאשה. Alias itaq; Latinas explicationes hic valere jubemus.

5. Qvi præterea ex loco Gen. *XLIX*, 25, aliqvod ſuæ verſionis præſidium qværunt, ubi Jacobus benedicens Joſepho inqvit: מעל אביך ויעזרך ואת שדי ויברכך *A Deo Patris tui adjuvabit te, & ab omnipotente benedicet tibi*; obſervare debent particulam את hic regi à proximo præcedente מִן in voce מעל id enim interpoſita conjunctio ואת pròbat, ut proinde את hoc loco idem ſit ac מאת; verum id non poſſe trahi ad

Evæ

Evæ verba, qvoniam nulla ſimilis harum particularum conjun-
ctio; ipſa verò locutionis forma tota eſt diverſa. Similiter de aliis judicandum eſſe, qvivis fortè ex hiſce facilè animadvertet. Quod moviſſe qvoq; ſummos literaturæ viros Druſium, Amamam, aliosq; deprehendimus, ne hanc particulæ אֵת explicationem amplecterentur; ut maluerint alteram per עִם ſive *cum*, huic eſſe præponendam.

6. Quod verò in favorem Tremellii & Junii ex loco 2 Reg. *XXIII*, 35, collegit Conſtantinus L'empereur *in notis ad* ὁδοιποεϊαν *M. Kimcki pag.* 252. את *qvandoq; reperiri, ubi* מִן *potius collocandum videretur*, qvaſi hæc eſſet verborum conſtructio: *Exigebat argentum illud & aurum* את *populo*; ubi non tantùm Tremellius Jun. præpoſitionē à poſuere, ſed etiam *Chaldæus* את *per* מן *à*, vel *de* reddidit; Id loco rectè evoluto & perſpecto facilem admittit ſolutionem. Locus hic eſt: איש כערכו נגש את־הכסף ואת־הזהב את־עם הארץ לתת לפרעוה נכה Tremell. & Jun. *Ab unoqvoq; pro æſtimatione ſua exigebat argentum illud & aurum, à populo (inqvam) terræ, ut daret Pharaoni Necho.* Vulgatus autem ita: *Unumqvemq; juxta vires ſuas exegit, tam argentum, qvàm aurum de populo terræ, ut daret Pharaoni Necho.* Senſu quidem ipſo uterq; rectè; ſed ad ipſam verborum in *H*ebræo conſtructionem percipiendam obſervare primùm oportet, nomen איש initio poſitum reſpondere ſequenti אֵת־עם, deinde איש non eſſe ablativi ſed accuſativi caſus; id enim ex ſeqventi verbo נגש conſtat, qvod qvidem in Kal uſurpatum adſciſcit accuſativum, Deut. *XV*, 2. לא יגש את־רעהו *non affliget proximum ſuum* (ſc. expoſcendo debitum); id qvod ex uſu qvoq; paſſivo animadvertitur: 1 Sam. *XIII*, 6. כי נגש העם, qvia coactatus, oppreſſus erat populus, Eſai. III, 5. ונגש העם & opprimetur populus. Similiter hic, & coarctavit, oppreſſit, preſſit, gravavit unum

 qvemq;

qvemq;, (explicationis loco ſubjungit) את עם הארץ populum terræ. *Hoc enim nomen correſpondere præcedenti* איש qvivis facilè animadvertit, ita ut per appoſitionem איש את עם conjungenda ſint, reliqva verò per ablativum convenientiùs efferenda ſint hoc modo: *Unumqvemq; ſecundũ facultates gravavit argento & auro, (ſive argenti & auri tributo impoſito) nempe populum terræ, ut haberet qvod daret Pharaoni Necho.* Ita, ne, ordine conſtructionis cuilibet lingvæ proprio neglecto, falſò quædam interpretemur, acuratè connexionis ordo eſt obſervandus: ex qvo manifeſtum fit, aliter hoc idem efferre *Hebræos*, aliter Latinos; ut proinde non ad Latinorum morem exponi debeat את per à vel ab, quam exigere à populo pecuniam dicunt, ſed ad ipſius genium lingvæ reddenda ſit; qvi etiam aliqvando convenientoribus verbis Latinè qvàm vulgariter reddi poteſt, ſicuti hunc locum ſatis Latinè redditum eſſe putamus eo modo, quo ſupra expoſitus eſt; cùm haud diſſimiles locutiones Romana lingva habeat, ut *multare aliqvem pecunia, gravare aliqvem facto aliqvo.* Ovidius:

> *Ac tu fortunam* ——
>
> *Nomine mendaci parce gravare meam.*

7. Ne deniq; locum *Jerem.* LI. 59 a Piſcatore pro obtinenda hâc particulæ את ſignificatione adductũ prætereamus: *Verbum, qvod præcepit Jeremias Propheta Seraiæ filio Neriæ filii Machaſiæ* בלכתו את־צדקיהו מלך יהודה בבל בשנת הרבעית למלכו i. e. *in eundo ipſo cum* (Tremell. & Jun. à) *Zedechia Rege Judæ Babylonem, anno qvarto in regnando ipſum*, (ſive *regni ejus*): qvem locum majus pondus habere ait Sixtinus Amama motus verſione *LXX*, qui παρὰ Σεδεκίου vertunt, ita ut particula את ibi poſita eſſet pro מאת; Conſtantinus autem L'empereur non aliter verti poſſe è momento hiſtoriæ colligit, qvòd poſt qvartum illum Zedechiæ annum, qvo Serajas dicitur ad-

adiiſſe Babylonem, ipſe Rex diu in Juda ſubſtiterit; ita ut non videatur Zedechias cum Seraia profectus eſſe eo tempore Babylonem, adeoq; Serajas potiùs à Zedechia miſſus tanqvam Legatus dicendus ſit: facillimo negotio expediri hoc dubium poteſt, ſi cum Genevenſibus, *de la part*, & cum Diodat: *da parte*, i. e. *nomine Zedechiæ*, vel pro Zedechia particulam את explicuerimus. Ita non opus erit qværere num Zedechias anno quarto regni ſui Babylonem cum Seraja profectus fuerit? qvamvis id absq; omni fidei hiſtoricæ periculo aſſeri poſſet, præſertim cùm non alia Zedechiæ qvàm Regis victi & tributarii fuerit fortuna, quem publicarum rerum neceſſitas ad implorandam victoris benignitatem facilè compellere potuit: qvibus addi poteſt ſententia auctoris Seder Olam; בשנה הרביעי לצדקיהו ירד להקביל פני נבוכדנצר מלך בבל licet eam improbent Rabbinorum alii, qvi malunt explanare per בעבר צדקיהו *propter Zedechiam* vel *pro Zedechia.* Ita verò uſurpari articulum את apud *H*ebræos ex binis locis colligere fortè licebit, Gen. *X*LIV, 32 & Lev. V, 7. atq; adeò ſibi rectiùs conſtat *H*iſtorica narratio, & planior ipſa fit ſententia.

8. Ad reliqva omnia, qvæ obverti vel pro ellipſi מ ad articulum את, vel pro ſignificatione à, de, e, vel ex, facilis erit reſponſio. Quædam enim falſò ita ſupponuntur vertenda ut illa à Kimchio notata Levit. *XXV*, 46. Gen. *X*LI, 8. Judic. X*X*I, 22: ubi אֹתָם non *ab*, vel *ex* illis, ſed rectiùs per Accuſativum reddenda eſſe, clarè monſtrat Chriſtoph. *H*elvicus in ſua diſputat. th. X, XI, XII. Pari modo חלה את־רגלין 1 Reg. XV. 23. & ſimilia nulla neceſſitas nos cogit ut vertamus per *à*, vel *ex*, qvamvis Latini ſic aliqvando id exprimant. Cicero, *laborare ex pedibus*, *ex inteſtinis*; Plinius, *à frigore*; qvi tamen interdum præpoſitionem omittunt. Non enim idē unius lingvæ idiotiſmus eſt ac alterius. Græci hoc idem in accu-

ſa-

ſativo exprimunt ἐπόνησε τοὺς πόδας αὐτοῦ. *S*ic qvod Cicero Latinè, *laborare ex renibus*, Ariſtoteles Græcè dixit πονεῖν τοὺς νεφρούς. *H*ebræi ſimiliter accuſativum uſurpant: Conf. 2 Reg: III, 14.

9. Eandem idiotiſmi rationem obſervandam eſſe ad יצא, qvando את ſeqvitur, ſupra ad locum *G*en. XLIV, 2. monuimus h: cap. ſect. 3. Vide ſimilia Exod. IX, 29. Num: XXXV, 26. Eccl. VII, 19. Sicubi verò ablativus exprimendus, non ſimplex את, ſed compoſitum adhibetur, Num. XVI, 35, & ignis egreſſus מאת־יהוה à Domino; ſic & 2 Reg. VI, 33 hoc malum מאת־יהוה à Domino: nunquam verò ſimiliter uſurpatum את־יהוה quis adhuc oſtendit. Ejusdē notæ eſſe conſtructiones nonnullas verborum copiæ obſervat Buxtorph. Theſ. *Grammat. libr. II, cap.* 13. *p.* 484. ut *ſaturandi* *J*oel. II, 19. *J*erem. XXXI, 23. *implendi J*erem: VI, v. 11. Ezech. X, 4. Exod. I, 7. *U*bi את־חמת אתו את־תובי אתם, את־הענן, non ablativi ſed accuſativi caſus ſunt, niſi per ellipſin præpoſitionis מִן explicanda ſint; qvæ tamen non ad arbitrium eſt ſupponenda. Sic & *H*ebraicus loquendi modus eſt 1 Reg. *X*, 12 *fecit Rex* את־עצי *ligna fulcrum domus Domini*; latini *de* vel *ex lignis*: item Exod. *XXX*, 25. *& attulerunt netum* את־התכלת *hyacinthum & purpuram &c.* Latini *netum* vel *textum ex hyacintho*, & *purpurâ*; aliqvando tamen ſine præpoſitione: *H*ebræi vero in accuſativo, v. 26. טוו־את־עזים *neverunt pilos caprarum.* Similiter per accuſativum convenienter redditur illud Deut. I, 22. *& referant nobis rem*, את־הדרך *viam, qvam aſcendemus*; qvod tamen Tremell. & Jun. ſenſum expreſſuri per præpoſitionem *de* verterunt, *ut referant nobis aliqvid de viâ, per qvam aſcendamus*; Vulgatus autem meliùs, *per quod iter*, ut & 1. Sam. XII, 7. & dijudicet אתכם coram Domino את־כל־צדקות; Vulg. & Tremell. *J*un. *vobiſcum de juſtitiis*; Ar. Montanus, *cum juſtitiis*,

tiis, Hebraicam locutionem magis expreſſurus ipſum v. verbum שפת communiter in aliis Accuſativum adſciſcit. Ad eundem caſum conſtruendus eſt locus Gen. VI, 13. qvem *Piſcator* in textu ipſo vertit, *perditurus ſum illos cum terra*; ſed in notis, ex aliorum, ut inqvit, ſed forte magis ex propriâ ſententiâ, *de terra*; qvaſi hìc eſſet ellipſis præpoſitionis מן, qvalem præſupponit in verbis Evæ Gen. IV, 1. adeoq; legeretur מעל פני הארץ *de ſuperficie terræ*, cui addi poteſt verſus 23. capit. VII. Verùm obſervaſſe eum oportebat, non eſſe eandem loqvutionis formulam utroq; verſu 7 & 13, imo verò diſertè v. 7. particulam את ut diverſam à מעל poni אמחה את־האדם מעל פני דארץ, ut nulla ratione vel hìc vel Gen. IV, 1. rectè præſupponi poſſit qvædam ellipſis מִן, qvam ipſi non ex arbitrio debemus fingere, ſed ductum verborum ſimplicem ſeqvi. Formula autem verſu 13. משחיתם את־הארץ, clara eſt, utpote qvæ verſu proximè præcedente bis adhibetur, *corrupta eſt terra*, tertiùmq; in ratione addita v. 12. explicatur; ac demum ſimiliter qvartùm ad pœnam applicatur v. 13. *corrumpam eos ſimul ac terram*. Similis conſtructio ad locum 1. Par: VIII, 8. obſervanda eſt, qvo nonnulli putunt cauſam efficientē vel generantem exprimi per particulam את hoc ordine: *Et Zacharaim genuit* א־חשים *ex Chuſchim &c:*, ſicuti v. 12. מחשים. Ita Tremell. & Jun:, *ex Chuſchimâ & Baharâ uxoribus ſuis*. Ipſe verò verborum ſitus monſtrat Chuſchim & Bahara ad proximè præcedens verbum שלח referri debere hoc modo: מן שלחו אותמ את־חשים ואת בערא, *poſtqvam dimiſerat eas, Chuſimam* ſcilicet, *& Barbarum uxores ſuas*. Ita rectè interpretes, qvi Hebræum textum preſſè ſeqvuntur; imò univerſum caput monſtrat את non niſi per accuſativum exponi, qvo perſonæ genitæ paſſim deſignantur. Ita probè & diligenter evolutæ hæ ſimilesq; locutiones per ſe ſunt planiſſimæ, ac verbis Evæ non obſcuritatem, ſed lucem potiùs

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-69 4° 00812 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-69 4° 812

adferunt. Cui obſervationi hoc addendum eſt, plurima eo qvoq; nomine inconvenienter ab earum interpretationum autoribus adduci, qvòd particula את, cujus genuinus uſus in hâc qvæſtione qværitur, de loco, ſubjecto, materia, ac aliis ſubordinatis cauſis tantùm dicta reperiantur, nullus verò unqvam locus adductus ſit, quo de Principali cauſâ ſummâ ſit adhibita pari conſtructionis modo, & eo, quem hic pro *à* urgent, ſenſu; is verò potius per מאת ſoleat deſignari, Num: XI, 35. 2. Reg. VI, 23.

9. Certiora ſuæ ſententiæ fulcra habere videntur, qvi per עם vel *cum* vertere malunt, cum id non modò uſus particulæ grammaticus in pronominibus qvibusdam אִתּוֹ *cum eo*, אִתָּם *cum eis*, אִתָּךְ *tecum*, אתכם *vobiſcum* אִתָּנוּ *nobiſcum*, ſed etiam alius freqvens locutionum numerus commonſtret. Quamvis enim nonnulla ſint, qvæ ſine præpoſitione per accuſativum reddi poſſe qvibusdam videntur; alia tamen clariora ſunt, qvàm ut aliam admittant interpretationem. Ut verò rectè progrediamur, quæſtionis ſtatus præcipuè heic ſpectandus eſt, qui non in eo verſatur, num particula את aliqvando per עִם *cum* verti poſſit? ſed num eo ſenſu per *cum* verti poſſit, quo illi interpretes volunt Evæ verba explicanda, ac ad Deum referenda eſſe? Neq; enim ſatis eſt obſervaſſe את aliquando per *cum* reddi poſſe, ſed ut rectè ad locum, cujus genuinus inquiritur ſenſus, applicetur; videndum omninò eſt, num id uſus lingvæ ullo alio loco ferat, ut ſimili ſenſu explicari poſſit. Niſi enim alio loco ſimiliter uſurpatam particulam oſtenderint, præter genium lingvæ eam vertiſſe cenſendi ſunt. Cum itaq; את־יהוה hic idem ſignificare exiſtiment, ac qvod Græci dicunt, σὺν Θεῷ, Deo favente & benedicente, flagitari jure poteſt locus aliqvis, quo את־יהוה ſimiliter uſurpatum legatur. Quæ verò pro firmaudo iſto ſenſu ab

ejus ſententiæ patronis ſolent adduci; neq; hæc verba ſimiliter eodem ſenſu juncta unqvam oſtendunt, neq; probant את cum aliis junctum ſimiliter unquam reddi poſſe.

10. Singula qvæ obverti ſolent, ut breviter expendamus; ad loca illa Gen: V, 22, & VI, 9. quibus Enoch & Noe dicuntur ambulaſſe את־יהוה cum Deo, non prolixè inqviremus, num, rectè per Accuſativum exponi poſſit? id verò tantùm rogabimus, ut monſtrent unicum locum, qvo hic ſenſus, qvem in Evæ verbis præſupponunt, *favente* ſc: *& benedicente Deo*, hàc locutionis formulâ expreſſus ſit. Omnes enim non aliud phraſi illa ſignificari fatentur, quàm Enochum & Noachnm piè coram Deo vixiſſè. LXX Græci, εὐηρέστησε τῷ Θεῷ: Patres antiqvi, *ſecundùm Deum vivere*: noſtri ſeculi interpretes ex ſimilibus ſcripturæ dictis, אחרי יהוה *poſt Dominum Deum ambulare Deut: XIII, 3.* בדרך יהוה *in viâ Domini ambulare 2. Reg: XXI. 22.* περιπατῆσαι ἀξίως τοῦ Κυρίου *Col. I, 10.* Nec aliter illi ipſi, qvi hoc ad Verba Evæ applicant. Vide inprimis Druſium, qui ex utrâq; Paraphraſi Onkeloſi & Jonathanis idem probat, ac affine eſſe ait, *ambulare coram Domino*, ſive vivere ad voluntatem Domini, in *Henoch Cap. 7.* At qvid hoc ad ſenſum illum, quem verbis Evæ inducit?

11. Ad cætera ut progrediamur qvum vel Laban dicitur fixiſſe את־אחיו *cum fratribus ſuis tabernaculum, Gen. XXXI, 29.* vel Jacobus *non miſiſſe Benjaminum* את־אחיו *cum fratribus ejus Gen: XLII, 4.* vel *nomina filiorum* memorantur *ingredientium* את *cum Jacobo Exod. I, 1* & qvæ præterea ſimilia ſunt; quis unquam ita expoſuit, Labanem faventibus & bedicentibus fratribus extruxiſſe, non miſiſſe Benjaminum favore & beneficio fratrum? aut filios Jacobi ingreſſos eſſe Ægyptum favore & beneficio Jacobi? ſimplicem enim ſocietatem vel conſenſum, non eminentem gratiam & favorem his & ſimilibus locis particulam את deſignare nemo non animadvertit.

Cæterùm ut deſignetur gratia vel favor Dei auxilians & concomitans, contrario quidem verborum ordine Dominus dicitur eſſe cum eo, cui favet, *Gen. XXXIX.* & fuit Dominus את־יוסף; id verò nemo unquam converſâ ſimpliciter præpoſitione ſimiliter hâc eâdem particulâ dictum oſtendit : tantùm ad mutuum conſenſum aut officium cum aliis adhiberi deprehendimus *Gen.* XXIII, 8, aut ad humile obſeqvium coràm Deo, *Gen.* V, 22. & VI, 9.

12. Rectè itaq; ſatis monet Chriſtophorus Helvicus *in deſiderio Evæ th.*12. nunquam apud Hebræos hanc formulam σὺν Θεῷ *cum Deo*, vel *Deo fortunante* efferri per את־יהוה, ſed per ביהוה & באלהים *Pſ. LX, v. ult. & CVIII, v. ult.* *Jer. III*, 23. *Hoſ: I*, 7. *Eſ:* XLV, 17. *Deut.* XXXIII, *v. penult:* Regerenti verò Sixtino Amamæ *in Antibarbar. Bibl:* ad h.l., Helvicum omiſiſſe formulam iſtam עם אלהים cum Deo, 1 *Sam.* XIV, 45. את autem & עם eſſe ſynonyma, reſpondemus; nondum id probatum eſſe, את & עם eo ſenſu eſſe Synonyma. Quamvis enim את aliquando uſurpetur pro עם ad denotandã in qvibusdam aliquam ſocietatem vel conjunctionem, nunquam tamen eo ſenſu acceptum eſſe oſtenderunt, ut idem eſſet את־יהוה ac ביהוה, vel באלהים & עם אלהים, qvibus majus, aliqvod, qvam communis conſenſus deſignatur. Claris verborum locutionibus & rerum momentis, non conſequentiis incertis res probanda eſt.

13. Cum itaq; nullus adhuc locus clarus ab ejus ſententiæ patronis oſtenſus ſit, quo particula את pro *cùm*, eo ſenſu, qvo ad verba Evæ eam explicatam volunt, adhibeatur, adſtrui ea interpretatio nec debet, quæ nullæ certo & claro fundamento innititur.

14. *V*eniendum demùm ad illos eſt, qvi per Dativum verti poſſe, *acqviſivi virum Domino*, ac id ad phraſin Hebraicam propiùs accedere cenſent. Breviſſimè ut hoc expediamus, nil niſi ſimilem phraſin Hebraicam expetimus. Quamvis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-69 4° 00812 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-69 4° 812

vis enim in quibusdam enallage quædam caſuum reperiatur, ita ut nota accuſativi caſus את aliqvando loco ל adhibeatur, quod inprimis ex *Levit.* XVI, 15. eſt manifeſtum; Vide Buxtorf Theſ: Gr: libr: 2 cap. 11. p. 452 haud tamen ſatis eſt eam aliquando nonnullis locis ad diſſimilia verba reperiri, de qvorum conſtructione & uſu non qværitur: id verò demonſtrandum ipſis erat, verbam קנה heic uſurpatum, Dativum aliquando cum ſimili notâ adjunctæ particulæ adſciſcere. At nullum ejus uſus exemplum dari poteſt: contra verò, evolutum ex ſuis locis omnibus verbum קנה, Dativum cum adjunctâ particulâ ל, nunqvam verò cum particula את notatum, per eam verò deſignatum Accuſativum habet. Videantur hujus ejusdem formæ primæ perſonæ קניתי qvatuor alia loca. Gen. XVII. 23. Ruth. IV, 9. & 10. Eccl: V, 7. ſecundæ perſonæ in fœmin: קָנִתָה ſemel Pſal. LXXVIII, 54. in maſcul: קָנִתָ ſexies. Exod. XV, 16. Ruth: IV, 5. Pſ. LXXIV, Pſ. CXXX, 13. Eſ. XLIII, 24. *Jer.* XIII, 4. tertiæ perſonæ ſexies Gen. XXV, 10. XLVII, 22. XLIX, 10. L, 13. *Joſv*: XXIV, 32, 1. Sam: XII, 3. &c. Qvæ itaq; locutionis interpretatio nulla ſolidâ autoritate firmari poteſt, genuina non cenſenda eſt. Reliqvas rationes conſultò omittimus, qvas Evâ foviſſe exiſtimant, ac ſi natũ Cainum dixiſſet divino cultui poſt Parentes propagando: non n. levibꝰ conjecturis, ſed certis & firmis argumentis interpretationes ſacræ adſtruendæ ſunt.

15. Satis itaq; modò demonſtratum eſſe credimus, quod initio declarandum ſuſcepimus, omnes ejusmodi interpretum ſententias à ſenſu de Meſſiâ abeuntes neq; verbis, neq; rebꝰ ipſis de quibus loqvutam fuiſſe Evam præſupponunt, rectè convenire. Cum enim nihil aliud dixiſſe Evam ſupponant, qvàm ſe *per Deum*, vel *à Deo*, vel *cum Deo*, peperiſſe Cainum, eo ſenſu, ut tantùm *ad favorem & beneficium naturæ à Deo præſtitum* reſpexerit, vel Deo ad propagandum cultum divinum ad po-

 ſteros;

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-69 4° 00812 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-69 4° 812

ſteros; nihil verò horum ipſis locutionis verbis, quibus uſa eſt, rectè convenire oſtenſum ſit; haud qvicqvam ultrà ad hæc declaranda opus eſſe ſperamus, niſi ut idem ex oppoſitâ verâ interpretatione, quâ falſæ quoq; omnes rectiſſimè deſtruentur, nonnihil illuſtremus.

Cap. III.

Sententia eorum, qui per איש את־יהוה Meſſiam heic intelligi aſſerunt, illuſtratur; ac qvòd verbis loqventis Evæ, ſimul & rebus de qvibus loqvi præſupponitur, & verè loqvitur, ſola conveniat, breviter demonſtratur.

1. Conſultò heic præteribimus eorum interpretationem, qvi cum de Meſſiâ verba hæc explicanda eſſe animadvertant, Hebrææ lingvæ non ſatis gnari איש את־יהוה, *virum Domini* verterunt; rati ita commodè iſtum exprimi poſſe ſenſum. Nec rectè hoc nomine Lutherum, aut alios eximios Eccleſiæ Doctores qvis ſub cenſuram graviorem vocaverit, quod Hebræum textum ad primum intuitum in omnibus ſatis accuratè reddere non noverint; cum ne id quidem præſtiterint, qui ſummæ fidei & autoritatis inter *Græcos* pariter ac Latinos habiti fuerunt interpretes. Id verò pii modeſtiq; animi eſt argumentum, ultrò ad ſenſum Scripturarum genuinum provocare, ac ſicubi quicquã haud ſatis rectè perceptum ſit, fontes uberiùs conſulere, eiqve ſe ſubmittere judicio, quod poſt diligentiſſimã omnium collationem divino ductu deprehenditur rectiſſimũ. Non itaq; hoc improbandum, ſed potius laudandum in *Luthero* cenſemus,

qvòd

qvòd ſuo ſenſu non ita abundaverit, qvin ad meliorem amplectendum paratus fuerit, modo rectiùs aliud & divinis literis convenientiùs dictum putaverit. Pro Genitivo nulla ſunt clara exempla quibus ejusmodi conſtructio probari poſſit. Qvamvis enim nonnulla ſint, qvæ ita qvoad ſenſum Latinè verti poſſint, ea tamen non ideo in Genitivo apud Hebræos dicta exiſtimanda ſunt, qvia Latino ſermone convenienter per Genitivum explicari poſſunt. Ita qvum Saul dicitur איב את־דוד 1. *Sam. XVIII.* 29, latinè qvidem rectè dicitur, *inimicus Davidis*; in Hebræo tamen Accuſativi caſus eſt, את־דוד, qvem verbale præcedens eleganter adſciſcit. Item qvando terra dicitur repleta דעה את־יהוה, rectè quidem latino ſermone vertitur, *ſcientiâ Domini*, ſed juxta eandem conſvetudinem Hebræis uſitatam non genitivi ſed accuſativi caſus eſt. Alia qvædam ſimilia reperire licebit; nulla vero qvæ manifeſtè evincant particulam את unqvam ad Genitivum deſignandum apud *Hebræos* fuiſſe uſurpatam. Quamvis itaq; à ſenſu ipſo haud aberraverint, qvi virum heic intelligi exiſtimaverunt excellentem & ſummum, promiſſum ſcilicet Meſſiam; eo modo, quo magna & ſumma aliquando ex more Hebræorum Dei eſſe dicuntur, ac vice verſâ, Deus aliquando vir appellatur, ut Exod: XV, 3. יהוה איש מלחמה inprimis Chriſtus, *Joh.* 1, 30, ὀπίσω μȣ ἔρχεται ἀνήρ, ὃς ἔμπροσθέν μȣ γέγονεν. Conf. Act. XVII, 31. quæ duo ad h: l. *Genevenſes* & Belgæ initio notarunt: rectiùs tamen fecerunt, qui miſſâ explicatione hac præter modum loqvendi Hebraicum detortâ, (cum particula את ita ſimplici & primitivo tantùm nomini ſubjuncta nunquam per Genitivum reddi poſſit,) nec ſatis id ipſum, quod Eva locuta eſt, exprimente, veriorem amplexi ſunt.

2. Quæ verò interpretatio omnium rectiſſima ſit, modò facilè conſtabit. Cum enim nulla reliquarum omnium, qvotquot unquam ab interpretibus ſunt allatæ, verbis Evæ rectè

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-69 4° 00812 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-69 4° 812

veniat, ſequitur ſolam illam veram & genuinam eſſe, quæ juxta accuratiſſimam locutionis obſervationem rectiſſimè verbis Evæ convenire deprehenditur. Non autem aliam eam eſſe quam quæ utrumq; nomen in Accuſativo poſitum ac de uno ſubjecto dictum eſſe ſupponit & demonſtrat, ex communiſſimo illo particulæ uſu clarum eſt, quem omnes animadvertunt non modò ad Accuſativum deſignandum *ordinarie* frequentiſſimè adhiberi, ſed etiam poſt aliud ſubſtantivum, vel pronomen vim aut reſpectum habens ſubſtantivi, poſitum ſemper vim habere vel *demonſtrativam* quâ præcedens nomen explanat & illuſtrat, vel *conjunctivam*, quâ prius cum poſteriore ita connectitur, ut unum ab altero ſeparari non poſſit; ſed pari reſpectu ad unum idemq; verbum referatur. Duplex enim horum locorum ordo eſt: unus eorum, quæ appoſitionem habent manifeſtam; alter eorum quæ utrumq; nomen hoc particulæ vinculo ita conjunctum oſtendunt, ut ad idem verbum pariter referatur. Ad evidentiam demonſtrationis, utriusq; ordinis quædam exempla ante oculos ponemus.

3. Per appoſitionem hæc eſſe intelligenda nemo non videt &c.

Jerem: XVII, 13. עזבו מקום מים חיים את־יהוה
Dereliqverunt fontem aqvarum vivarum את *Dominum.*

Gen. XXVI, 34. ויקח עישה את־יהודית בת בארי
& duxit uxorem את *Jehuditam, filiam Beri.*

1. Reg. XI, 23. ויקם לו שטן את־רזון
Et ſuſcitavit ei Deus adverſarium את *Rezon.*

Pſal. LXXXIV, 4. גם צפור מצאה בית ודרור קן לה את מזבחתיך יהוה
Etiam avis invenit domum, & hirundo nidum ſibi, &c. את
altaria tua Domine.

Exod: *II. 6,* ותראהו את־הילד
& vidit eum את *infantem &c.*

Ezech.

Ezech. IV, 1. וחקות עליה עיר את־ירושלם
& ſculpes ſuper eam urbem את *Jeruſalem.*
Gen. VI, 10. ויולד נח שלשה בנים את־שם את־חם ואת־יפת
Et genuit Noe tres filios, את *Sem,* את *Cham,* ואת *Japhet*
Confer Gen. XXII: 21.
Eſ. VII, 6. ונמליך מלך בתוכה את־בן־טבאל
Et faciamus regnare regem in medio ejus, את *filium Tabal.*
Confer *Eſ:* VIII, 2.

Studio hæc pauca tantùm è multis ſelegimus, ut ſimul ei objectioni occurreremus, qvam adverſus hanc ſententiam fecit Druſius, & qvi eum ſecuti ſunt Sixtinus Amama, & Andreas Rivetus, rati appoſitionem ejusmodi ſubſtantivorum de uno eodemq; ſubjecto ex uſu lingvæ non ſimplici, ſed geminato articulo את efferri, ac proinde Evam, ſi hæc ei mens fuiſſet, dicturam fuiſſe, קניתי את־איש את־יהוה, cum *Hebræi* ſoleant articulum utriq; nomini præfigere. Quod enim omni fundamento careat hæc Druſii annotatio, Amama quidem ipſe haud obſcurè fatetur, dum *eam non ita eſſe perpetuam* ait, *ut non admittat exceptionem. Ecce enim*, inquit, *Ezech:* *IV*, 1. &c. Sed idem ex duodecim locis heic annotatis eſt manifeſtiſſimum, quæ non geminatum, ſed ſemel tantum poſitum articulum habent. Ad elegantias lingvæ id potiùs referendum eſſe volunt alii doctiſſimi Grammatici Hebræi, quòd aliquando utriq; ſubſtantivo articulos præponatur; ut proinde regula generalis exinde effici non poſſit. Sunt quædam exempla quæ particulam primo nomini præpoſitam habent, ut 2. Sam: III, 28. השיע את עמו ישראל alia qvæ poſtremo, ut loca ſupra notata, plurima vero utriq; : Vide Gen. XX, 2. & XII, 16. & XVII, 8. & XLVIII, 1. Num: XV, 22. 23. Jud: III. 28. *Joſv.* XXIV, 3. 1. *Sam:* XV, 18. 2. Sam: III, 14 & V, 2. & VII, 7. & XIV, 21. 2. Paralip: XI, 2. Pſ. CXLVII, 11. Jerem. XXXII, 2. & *XLI*, 3. & *XLIII*, 5. 6.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-69 4° 00812 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-69 4° 812

4. Per mutuam connexionem qvædam ſibi ita ſunt conjuncta, ut quamvis diverſa ſint, vinculo tamen particulæ את adeò colligentur, ut uno eodemq; modô ad proximè præcedens verbum referantur; qvalia quædam eorum ſunt, quæ ſupra à pravâ expoſitione vindicavimus, ita rectiſſimè vertenda.

Gen. VI, 13. והנני משחיתם את־הארץ
Ecce ego diſperdens eos ſimul ac terram.

Dent. I, 22. וישבו אתנו דבר את־הדרך אשר נעלה בה
ut referant nobis rem ſimul ac viam, qvam aſcendemus.

Reperiuntur præterea qvædam hujus generis cum particulâ geminatâ, interpoſitis qvoq; aliquando nonnullis aliis ad rem facientibus ut Gen: I, 29. Exod: I, 14. ac nonnunqvam cum præpoſito ו ante particulam, ut 1. Reg. *XI*, 1. 25. Inter ca verò, quæ nudam & ſolam hanc particulam ultimo tantùm nomini præpoſitam habent, qvali modo poſita in verbis Evæ deprehenditur, clariſſimus omniũ eſt locus Gen. L, 13. בִּמְעָרַת שְׂרֵה הַמַּכְפֵּלָה אֲשֶׁר קָנָה אַבְרָהָם אֶת הַשָּׂרֶה לַאֲחֻזַּת־קָבֶר מֵאֵת עֶפְרוֹן הַחִתִּי עַל־פְּנֵי מַמְרֵא *in ſpelunca agri Hamacphela, qvam acqviſivit ſimulac agrum in poſſeſſionem ſepulcri ab Ephrone Chættæo ante Mamre.* Vide quoq; *Gen. XLIX*, 29. Obſervandum hìc eſt, agrum diverſum fuiſſe à ſpeluncâ, qvoniam ſpelunca dicitur fuiſſe בשדה in agro Gen. XLX, 29. ac deinde ita connecti ſpeluncã (per pronomen אשר expreſſã) & agrum per vinculum particulæ את, ut utrumq; eodem modo referatur ad verbum præcedens קנה; ac præterea reperiri heic idem verbum, qvod in verbis Evæ eſt, Gen. IV, 1. ut proinde per omnia ſibi qvam ſimillima ſint hæc duo loca. Nemo autem non videt rectè heic את verti per conjunctivam particulam *ſimulac*, & שדה in Accuſativo *agrum*. Quamvis enim per Ablativum eodem ſenſu cum præpoſitione reddi poſſet,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-69 4° 00812 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-69 4° 812

cum agro; tamen ut Hebraica conſtructio obſervetur, qvam potiſſimùm modò indagamus, ita verba propria ſuo ordine rectiſſimè collocantur & explicantur.

5. Affinis igitur huic interpretationi eſt illa, qvæ per עם vel *cum* את reddi poſſe exiſtimant: ut proinde non omni ex parte improbanda ſit eorum ſententia, qvi hoc vel illo Gen: IV, 1. loco, hanc particulam ita reddunt: cum frequentiſſimè ſic את uſurpatum, ut non aliter verti poſſit, inveniamus. Verùm in eo falluntur iſti interpretes, quod particulam dubio ita ſenſu poſitam haud rectè ad præcedens nomen, quocum jungitur, ſed ad verbum tantùm eo ſenſu referant, ac ſi Eva dixiſſet, cum Deo acqviſivi virum: cum potius ita ſecundùm verum verborum ordinem collocanda ſint, *acqviſivi virum unà cum Domino*, id quod clariùs in Accuſativo dicitur, *acqviſivi virum ſimul ac Dominum*. Ita enim falſò particulam ad verbum tantùm referri, ex ſimillimâ hâc locutione Gen. XLIX, 29. & L, 13. diſcimus; cùm pravus, imò nullus eſſet ſenſus, ſi hoc modo את poſt idem verbum קנה verteretur, *acqviſivi cum agro*, vel *agro adjuvante ſpeluncam*. In applicatione itaq; particulæ את, non verò in ſimplici ejus acceptione errant, qvi *cum Domino* verba Evæ vertunt. Verùm ut omnis amphibolia vitetur, rectiſſimè ea loca, qvæ dubii ſenſus per præpoſitionem redduntur, per Accuſativum & copulam efferuntur.

6. Dubitari itaq; nullâ ratione poteſt, qvin verba Evæ ad hunc modum, qvo ſimiliter eandem particulam poſt idem verbum קנה inter duo ſubſtantiva poſitam reperimus, explicanda ſint, ſenſu omnium planiſſimo, qvo ſe *acqviſiviſſe virum ſimul ac Deum*, vel *unà cum Deo*, inqvit, ita ut Deum cum homine ſingulari qvodam nexu perſonali conjunctum vel conjungendum eſſe dicat; prorſus qvemadmodum Meſſiam eodem ſenſu *Immanuelem* appellandum prædixit Eſaias, qvo Deum ſimul & hominem in unâ perſonâ naſciturum indicavit, Eſ: *VII*, 14. וקראת שמו עמנואל, *& vocabis nomen ejus Immanu-*

 eli;

el; ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον, μεθ' ἡμῶν ὁ Θεός, Matth. I, 24. Atq; adeò hanc explicationem qvoq; rebus ipſis, de qvibus Eva loqvi ſecundum hanc ſententiam præſupponitur, & verè quoq; loqvitur, rectiſſimè convenire clariſſimè cernimus. Qvod Sixtinus Amama præterea objicit, *nudè poſitum eſſe* איש *ſine* ה *Emphatico, aut aliqvo pronomine demonſtrativo, ut nullus videatur eſſe ad promiſſionem illam Evangelicam reſpectus*: id non inter majoris momenti argumenta, vel ipſo Amamâ haud diffitente, habendum eſt. Si verò ita deſignari aliqvod individuum vagum & incertum exiſtimandum eſt; rectiùs ex eo colligit D. Sebaſtianus Schmidius, non Cainum, qvem inter manus habuit Eva, ſed alium qvendam nondum natum, nec ipſo perſonæ individuo adhuc cognitum Meſſiam intelligendum eſſe.

7. Qvo obſervato, alias qvoq; interpretationes omnes minùs verbis Evæ convenire, ſolam autem hanc ex ipſâ verborum rectâ conſtructione fluentem, ac ei vicinam, qvæ eodem ſenſu per appoſitionem vertit, veram & genuinam eſſe colligimus. Sicut enim nemo non ridiculè dictum aut cogitatum exiſtimaret, ſi qvis verba Moſis Gen: *XLIX*, 29. & L, 13. את שדה *per agrum*, vel *ab agro*, vel *favente agro* vel in *Dat. agro*, vel in *Genit. agri* redderet, ita omninò inconvenienter ſimiles interpretationes ex eodem locutionis modo ab eodem Moſe in verbis Evæ adhibito educeret. Qvod idem reliqvarum particularum uſus per oppoſitam rationem declarat. Cum enim præpoſitio *a* vel perſona *à qua* res acqviritur per particulam מאת deſignetur; perſona autem vel uſus, *cui* acqviritur, per præfixum ל; medium vero *per qvod* aliqvid acqviritur, per præfixum ב; atq; hæ particulæ omnes in verbi קנה conſtructione ut diverſæ à particulâ את ponantur & uſurpentur, manifeſtum eſt non poſſe את juxta aliquam reliquarum particularum ſignificationem verti.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-69 4° 00812 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-69 4° 812

8. Sic itaq; declaratum interpretationis veræ fundamentum, clarè patet, qvòd univerſaliter verum ſit; ut Andreæ Riveto id adverſus Hunnium neganti *Exercit. XLII. in Gen*: plura reſpondere non ſit opus. Nemo enim non animadvertit, ſatis univerſaliter hæc non modò dicta, ſed etiam probata, tùm per ἄρσιν, dum nullas alias interpretationes verbis loquentis Evæ, aut rebus de qvibus loqvi præſupponitur, tum per Θέσιν, dum noſtram iisdem convenire, ſimulq; locutionis modum eo conſtructionis ordine uſurpatum, quo heic reperitur, nunqvam alio ſenſu exponi poſſe oſtendimus.

9. Solum illud dubiũ modò diſcutiendũ reſtat, quod plurimos ſuſpenſos tenuit, ut qvãvis locutioni hunc ſenſum ſubeſſe animadverterint, haud tamen credere auſſi ſint, Evã de Meſſiâ locutam eſſe, hâc potiſſimum ratione diſtracti; qvòd Eva in ipſo Paradiſo à Deo inſtructa haud ignoravit, Meſſiam ex ſolo Mulieris ſemine naſciturnm eſſe. Ad qvod exiſtimarunt alii; non mirum eſſe, Evam tanto gaudio perfuſam oraculum Dei modò impletum crediſiſſe, ac levem errorem tantùm in perſonæ individuo commiſiſſe; alias ſanctas mulieres ſimiliter primogenitis nimium detuliſſe. Sed miratur iterum Druſius *hæc doctis unqvam veniſſe in mentem, ut Evam illo ævo id ignoraſſe ſcriberent*. Mercero hoc nomine hæc expoſitio videtur *coacta*. Sixtinus Amama ita excipit; *ſi tã turpiter decepta fuit in individuo ignorans illud Myſterium, Meſſiã non ex concubitu viri, ſed ex Muliere tantùm naſciturum, nunqvid non facile erit Arriano vel Judæo dicere, eam in eo qvoq; fuiſſe deceptam, quòd Meſſiam credidit fore* Θεάνθρωπον? Hoc idem totidem verbis repetit *Hackſpa*nius *in notis Philol: ad diff: loca ſcript: in h. l.* ſimulq; concludit: *ego in tanto ſententiarum divortio AMPLIUS cogitandum exiſtimo*. *H*eidegerus, cum ab ipſâ ſententiæ veritate, hujus argumenti cauſſâ diſcedendum non putarit, ſimiliter aliud potiùs cogitandum judicavit; *& fortaſſe*, inquit, *etiam hunc partum interpretata fuerit ſignum & argumentum filii hominibus dandi & pueri, qvi ipſis naſcitur. Nã unũ ſemen ſine altero eſſe non poteſt*.

10. Breviter ut hoc expediamus; ſententiæ certitudinem claris ſcripturæ verbis conſignatam per conſeqventias incertas haud rectè convelli dicimus, rectiore verò ordine ex certis colligi incerta. Quæ itaq; certa per evidentes demonſtrationes declarata ſunt, primò omnium ſupponenda ſunt: hinc alia primis proxima ; ut demum ex his eruantur, qvæ prioribus ſunt convenientiſſima. In hâc qvæſtione certiſſimum illud ante omnia erit, qvod modò evidenter demonſtravimus; Evam reſpexiſſe ad Meſſiam: deinde huic proximè verum ſupponemus illud, qvod alii ſine veritatis majore particulo negari non poſſe exiſtimant; Evam ſciviſſe, Meſſiam non ex ſemine hominis polluto, ſed ex ſemine virginis ſanctificato eſſe naſciturũ: id quod ex oraculi divini ſenſu haud dubium eſt, ipſam ſatis percepiſſe. Reliqvas controverſias vel cogitationes, qvas alii vel ad excuſandã Evæ ignorantiã, vel ad amoliendas alias ex iſtius ignorantiæ ſuppoſitione periculoſas conſeqventias, nec noſtras faciemus, nec neceſſarias judicabimus. Id verò potius inqviremus, qvomodo ex datis & ſuppoſitis duobus veris colligi poſſit tertium. Certè ſi Eva hìc agnoſcit Meſſiam aliqvando naſciturum, eum verò quoq; novit ex ſolo Mulieris ſemine eſſe naſciturum; ſeqvitur omninò tertium ; Evã ; ſcilicet, non credidiſſe Cainum fore Meſſiam. At qvid? fortè inqvies: Id ne ſatis ex ipſo narrationis ordine manifeſtum eſt, Evam non de alio locutam eſſe, quàm qvo nuper nato exultaverat? Heic vero te rogamus, candide Veritatis amator, ut cogitationes nonnihil figas, animumq; prius ad narrationis ordinem & nexum percipiendum intendas, qvàm ſententiam dixeris.

11. Nunqvam enim Evam dixiſſe Cainum futurum eſſe illum virum Deum, ita ex verbis ipſis oſtendimus; קניתי, inquit, acquiſivi virum ſimul ac Dominum, non ילדתי; quoniam ipſa non peperit virum illum in unione perſonali Deum futurum, ſed Cainum, de qvo proximè ותלד את־קין & *peperit Cainum*. Regeres forte, utroq; verbo unum eundemq; pariendi actum haud dubiè deſignari. Sed qvid hoc, niſi conjectura humana

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-69 4° 00812 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-69 4° 812

nulli ſolido fundamento innixa? Satius ne eſt ipſum literarum divinarum ductum preſſè ſeqvi, ac per diſtincta verba & nomina, diſtinctas qvoq; res & ſubjecta intelligere? Objicies iterum; cur itaq; hæc immediatè conjunguntur, ſi non de uno eodemq; ſubjecto ſunt intelligenda? En itaq; tibi rationem, ex acquiſitionis modo, & verbi קנה uſu ac conſtructione petitam. (Verbum enim illud ita hoc loco rectiùs quàm per *poſſedi* interpretamur: cum ſignificatio poſſedi in præter;tempus aliqvod præcedens præſupponat, qvo rem poſſeſſam in ſua poteſtate habuit: quomodo explicanda omninò ſunt loca Proverb: VIII, 22. Pſ. CXXXIX, 13. aliaq; ſimilia; acqviſitio verò, de qva hoc loco, per Caini nativitatem inceperit.) Cain itaq; vel Caini nativitas medium illud eſt, per qvod Eva dicit ſe acqviſiviſſe Meſſiã; id qvod per narrationẽ proximè præcedentem indicatur, *& peperit Cainum*; qvæ ad mox ſeqventia ita referenda eſt, ac ſi dixiſſet Eva; בילד הזה קניתי־איש־את־יהוה, *per hunc partum, vel per hunc infantem acqviſivi Virum & Dominum*: ſicuti medium per quod aliqvid acquiritur per præfixum ב ſolet exprimi, 2. Sam. XXIV, 24. Eſ. XLIII, 24. heic verò per narrationem præcedentem, & nominis impoſitionem; nam ideo dictus eſt קין, quod vocum ſimilitudo oſtendit. Porrò in ipſo acqviſitionis modo, ut medium per qvod res acquiritur ſit diverſum à re ipſa, quæ acqviritur, neceſſe eſt: non enim argentum illud, qvo vel Abrahamus ſpeluncam, vel David aream Araunæ ſibi comparavit, idem eſt cum ſpeluncâ & area: nec miraculoſa illa potentia, per qvam Deus dicitur ſibi acqviſiviſſe populum ex Ægypto, eadẽ eſt ac populus ipſe. Exod. XV, 6. ex quo ſimul clarũ eſt, per Cainum, qvi tantùm ut mediũ acquiſitionis præſupponitur, non poſſe intelligi rem acqviſitã; virũ ſc: & Dominũ.

12. Clarè itaq; ſic demonſtratum eſſe credimus, Evam non crediđiſſe Cainum eſſe Meſſiam, cum Cainum ipſa diverſum fecerit ab eo, qvem Meſſiæ titulis inſignivit: ut proinde ſupponere non ſit opus, Evam in hoc erraſſe: qvod præterea ex verbis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-69 4° 00812 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-69 4° 812

Apoſtoli fidem Abelis ad Ebr. cap. XI, 4. laudantis haud eſt obſcurum; cum Abel non ab aliis quàm à Parentibus ſuam acceperit fidem; nec ſupponi poſſit Matrem aliam quàm filium habuiſſe fidem, ac quod ſequitur, nec credidiſſe Cainum fore Meſſiam.

13. Ultimo loco id tantùm breviter declarandum reſtat; quomodo Eva dici poſſit acquiſiviſſe Meſſiam, qvem non peperit, nec unqvam vidit. Facilis autem eſt ex ſuppoſitis & demonſtratis reſponſio. Acqviſiviſſe enim dicitur, non quem peperit, & mox ante oculos vidit, ſed quem per hunc partum certò ex ſeminis propagatione tandem oriundum tàm clarè vidit, ac ſi ante oculos ei poſitus fuiſſet; ſicut & Abrahamus per ſeminis multiplicationem certus factus de ſemine benedicto Meſſia, ſimili ſententiâ dicitur Chriſti diem vidiſſe Joh. VIII, 56.; qvod per eam fidem intelligendum eſt, quam in Abrahamo laudat ipſe Deus, Gen. XV, 6. *credidit in Deum & imputavit ei illud in juſtitiam.* Qvibus addi poſſunt, quæ ab eruditiſſ. Dn. D. Sebaſtiano Schmidio optimè in eundem ſenſum cogitata ſunt, & à celeberr. D. Calovio in Bibliis illuſtratis ad h. l. laudata. Nobis ſuffecerit demonſtraſſe verba Evæ haud aliter qvam de Meſſiâ & Chriſto Servatore intelligi poſſe, nec quicquam eſſe, quod genuinum hunc ſenſum deſtruat aut convellat; omnia verò rectè explicata & intellecta ad idem convenientiſſimè referri. Ita ſimul inſerviet hic locus gloriæ Chriſti adverſus Atheos, Judæos, Muhammedanos, Socianos ſimilesq; tuendæ: cujus divinam naturam pudor eſt tàm multos ad tantam cœleſtis verbi lucem circumfulgentem ignorare; furor autem, veritatem ab ipſo condito orbe cognitam & innumeris prophetiarum, eventorumq; mirandorum documentis manifeſtam negare.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-69 4° 00812 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-69 4° 812

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-69 4° 00812 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-69 4° 812